



K 21,16.

I
Vc
2195

AD
ACTVM ORATORIVM

IPSO
SCHOLAE ILLVSTRIS
GRIMANAE NATALI

D. XVIII KAL. OCTOBR. A. R. S. CLO IO CCXLIV

IN AVDITORIO MAIORE

AB HORA MATVTINA
PERACTIS IN TEMPLO SCHOLAE
CONTIGVO SACRIS

A SEPTEM BONAE IN DOLIS
ET EXPECTATIONIS ALVMNIS

HABENDVM

OMNES LITERARVM FAVTORES
CIVITATIS GRIMENSIS
PERAMANTER INVITAT

DE DIVINAE PROVIDENTIAE DOCVMENTIS

IN

ALBERTVM ANIMOSVM DVCEM SAXONIAE
STIRPIS ALBERTINAE CONDITOREM
PLANE SINGVLARIBVS
DISSERENS

M. HENRICVS AVGVSTVS
SCHVM MACHERVS
ILLVSTRIS MOLDANI RECTOR.

LIPSIAE, LITERIS BREITKOPFIANIS.

X I.



X 3116

I. 544

60

ACTVM ORATORIUM

1620

SCHOLARIBVS LITERATRIS

CRIMIANAE NATALI

D. XAVIERI KAR. DCTOTOR. A.R.S. CLOPISCELIUS

IN AUDITORE MAJOR E

VR. HOR. MATHATINA

PRRACTICIS IN TEMPLO SCHOLAR

CONTIGVAZCRI

A SPECTRUM RONDA INDOLOS



CARTAGINIS CRIMIANA

DE DIVINA LITERATURA AVVENTIIS

ALLEGATORVM ANTIQVS SYGNAZ SAXONIAE

STYLIS AVANTINAE MONSIEVORVM

TRIBVS SIONALVARIAS

HENRICVS AVGVSTVS

SCHUAMONTHVS

MVSTENSIO DVMN RICOTOR

LITERATVS CRIMIANA

XI



Statutum quidem cum animo ac deliberatum
habuimus, multa & egregia summi Numinis
documenta, quae principibus Electoribus Sa-
xoniae praeslit, tantummodo enumerare,
aliisque in memoriam reuocare; hoc tamen consilium, antea
conceptum, nos immutare coegerit *Alberti animosi, Duci Saxonie fortissimi*, fama, quae ob diuinam eius & inusitatam
prope virtutem, & singularia animi bona, a Deo immortaliter
concessa, per totum terrarum orbem disseminata est. Hunc
inuicti roboris, magnique nominis, ducem ipsis principibus
Saxonie, Electorali dignitate ornatis, optimo iure adiungere
possumus, propterea, quod non tantum patre, Electore, cre-
andis imperatoribus Romanis consecrato, natus, sed ipse par-
ter, ob rerum, & in toga, & sago, gestarum multitudinem, &
magnitudinem, Electorali, imo regio diadematate, illis par fuit.
Tetris huius rei satis probatus esse poterit celeberrimus Sa-
xonum Polyhistor, **CONRADVS SAMVEL SCHVRZ-**
FLEISCHIVS, qui in animaduercionibus ad vitam *Alberti*,
a *Michaële Boemō* conscriptam, eleganter admodum inquit:
Fuit ALBERTO capax regiae dignitatis ingenium, indolesque
excelsa, atque robur pace belloque inuictum, & in rebus tra-
ffandis agendisque grauitas, atque diligentia singularis, ar-
dorque

... his
... uniuersitate
... capitulum de
... etiam utrius
... secundum

p. 138.

dorque ad gloriam maximus, & in exequendis negotiis celeritas, atque vis inuisitata, ut in eo viuum Herois exemplum, & diuinae prouidentiae documentum intueri, ortumque felicissimae propaginis Albertinae colere atque aestimare debeamus. Quia igitur incomparabilem serenissimae illius Saxonum stirpis, sub cuius posteris, non Electorali tantum, sed regia etiam dignitate, florentibus, tanquam sub vmbra, diuina gratia, tuta testique degimus; conditorem agnoscimus, & singularia Dei prae-potentis dona ac munera in eo conspicimus, placuit iam, ea quoque repetere, & in lucem adspectumque proferre, vt nemo non exinde perspiciat, Saxoniam eiusmodi semper aluisse heroas, quorum & nomina, & facta, vnumquemque merito admirari, & literis ac linguis celebrare, decet. Nobis vero, qui urbis Grimae moenibus continemur, & in Musarum sede, & virtutum, bonarumque artium ac linguarum officina, ibi constituta, regiaque munificentia conseruata, & aucta, versamur, in primis conuenire existimamus, memoriam Alberti huius animosi renouare, & diuinae prouidentiae signa, in eum collata, praedicare, eo, quod hic Dux serenissimus Grimam, peruetussum ad Moldam oppidum, natalibus suis anno

^{M C C C X L I I I}, illustravit, multisque beneficiis ornauit. De loco, & anno, natali omnes inter se conueniunt rerum gestarum scriptores, assidui antiquitatum Misericarum indagatores, & nemo fere inuenitur, qui de eo dubitet. De die vero nativitatis, quo lucem adspexit, in arce Grimensi, a Friderico bellico exstructa, non vna eademque omnium est sententia. Sunt nonnulli, qui Kalendis Augusti, praedicti anni, eum natum esse, contendunt, inter quos est *Georgius Fabricius*, in originibus Saxoniae. Cui assensum praebet *Vitus Ortellius*, I. V. D. & Professor, in academia Vitembergensi, in oratione, de *Alberto animoso*, anno 1567 habita. Sunt contra alii, qui ^{x x v i i} Iulii huius anni eundem *Grimae* natum scribunt, in quorum numero est *Sebastianus Mullerus*, in annalibus Sa-
xonicis,

Lib. VII. c. 5.

Capitob

OB

xonicis, ad hunc annum, Michaël item Boiemus, in vita Alberti animosi, qui nonnulla addit, quod nempe in lucem editus sit d. x x v i i Iulii, sive, vt est in annotationibus antiquioribus ciuium nostrorum, die, qui inscribitur in fastis *Vincula Peri*. Hos secuti sunt complures, Laurentius *Fauſtus*, in explicatione stemmatis omnium Ducum & Electorum Saxoniae, Antonius *Weckius*, in egregio Chronico Dresdeni, Io. Georgius *Layriziusr*, in palmeto Historico, itemque auctor *Memo- rabilium Saxoniae*, Nicolaus quoque *Reuſnerus*, in stemmate Wittekindi, & illustris Consiliarius regius *Glaſenius*, in nucleo historiae Saxonicae. Nos hanc litem, de die nativitatis *Alberti*, aliis relinquimus. Interim satis est, hunc Ducem, nutu diuino, *Grimam* nativitate illustrasse, & huic ciuitati decus conciliaffe. Id quod celeberrimus communis Germaniae Praeceptor, Philippus *Melancthon*, iam olim magni aestimauit, in epiftola, ad *Ioachimum Camerarium*, scripta: *Inter decora op- pidi Grimae inquiens, hoc quoque narratur, natum ibi esse Du- cem Saxoniae, Albertum, cuius similem principem si nunc Ger- mania haberet, non folium ornamentum, sed ἔγκος, οὐ ἔρωτα, ut poētae Duces magnos nominant, videret.* Hanc vrbem, in qua primum hausit Spiritum, & in qua honestis artibus, primis annis, formatus est, in deliciis habuit *Albertus*, & praecipuo amore ac fauore prosecutus est, multaque gratiae signa eidem praestitit. Ita hic Princeps locum, in quo natus, altus, & doctus est, cum grata recordatione, in mente semper habuit, ei- que hoc natale solum cum gratum, tum iucundum fuit. Ex amore patriae suae *Albertum* se *Grimensem** appellari voluit, in itinere, quod, pro more illorum temporum, religionis causa, in Palaestinam, ad sepulcrum Domini, suscepit, & diuino praefidio munitus, absoluit, multis terra marique superatis periculis, Germaniam, Italiam, mare Adriaticum, Ionicum, Creticum, Syriacum, permensus, magno cum comitatu, an-

p. 133.

p. 521. epife-
tar.

Weckii
Chron. Dresden.
p. 42.
id. Müller An-
nal, Sax. 43.

* Albrecht von Grima.

no M C C C L X V I , de cuius itineris molestiis Antonius Weckius, in Chronico Dresdensi, & Io. Seb. Müllerus, in annalibus Saxoniciis, & in primis Mich. Boiemus, multa commemorant. De toto vero hoc itinere religioso, eiusque causa, de diuorum reliquiis, de sacris locis iustratis, quid sentiendum sit, illi rectius iudicabunt, quibus ipsum Dei verbum, coelitus manifestatum, fidei norma est, quo docemur omnes, unicum, quo salutem aeternam impetramus, esse sacrificium Christi, induentis nos iustitiae indumento, & hereditatem vitae aeternae, acerbissima sua morte acquisitae, fidelibus imputantis. Vrbis ergo Grimae, dulcis patriae amore incitatus, Albertus, vna cum Coniuge Zedena, & Sidonia, Georgii Bodibracii, Regis Bohemiae, filia, saepius ibi commemoratus, vna cum comitatu attlico, & domus mercatorias, ad conseruandas merces, & ad pristinum mercatum restituendum, suis sumtibus, hoc in loco, constituit. Primis enim temporibus mercatus hic Merseburgo, ob grauissimum ibidem ortum incendium, & ob magnam mercium iacturam factam, Grimam translatus, maxime floruerat. Cum vero postea Grima, ob inundationem fluminis Moldae, merces pariter detrimentum caperent, Tuchauia primo, & postremo Lipsia, anno M C C L X V I I I , mercatum publicum obtinuit, iussu & voluntate Dieterici, Marchionis Misniae. Cuius rei documenta illustris Cancellarius aulae Saxonicae, Dauides Peiferus, in originibus Lipsiae, produxit.

De parentibus suo, & maiorum splendore coruscantibus, quos Albertus, Dei dono ac munere, nactus est, F R I D E R I C O nempe placido, Pr. Electore Saxoniae, & matre, M A R G A R E T H A, Austriaeca, non est, quod hoc loco commemo-remus, de quibus superiori anno multa sunt obseruata. Qui parentes serenissimi omnem curam ac operam adhibuerunt, sicut in E R N E S T O, primogenito, ita in A L B E R T O, educando & rerum diuinarum & humanarum scientia rite instruendo, de quibus omnibus nonnulla iam a nobis prolatasunt,

v. Peccenstein
Theatro Sa-
xon. P. II. p. 31.

p. 213. seq.

Progr. X.

annulus non habens quae



quae hoc loco repetere minus conuenit. Quanquam non negligandū est, miram inter hos fratres morum & studiorum dissimilitudinem fuisse. ERNESTVS, pacis amans, maiore, bonas artes & linguas addiscendi, flagravit cupiditate; ALBERTVS vero belli amore incitatus, Martis strepitum prae-tulit. Neque tamen ideo a Musis plane abhorruit, sed eas quoque magni aestimauit, & prouectiore aetate, saepe deplorauit, quod maiorem literis diligentiam prima aetate non tribuerit. Hinc omni cura filios suos, Dei gratia sibi commoda-tos, Georgium barbatum, & Henricum pium, instituendos cu-ravit, eosque in academiam Lipsiensem, ad excolenda literarum studia, misit, ut omnibus, quae principem ornant, artibus ibidem imbuerentur. Quia vero Deus immortalis, singulari beneficio, Alberto corpus firmum, & robustum concesserat, natura & exercitatione corroboratum, ad Martis studia magis propensus erat, quod Michael Boemus multis exemplis con-firmat.

De praecipua, ac plane admirabili Dei cura, quam in conseruando, & e fauibus pessimi illius hominis, Conradi Kaufungi, eripiendo, Alberto, in tenera aetate adhuc consti-tuto, adhibuit, alio tempore iam dictum est, neque opus est, vt hoc loco repetatur. Omnem certe rationis sensum huic raptori malitia eripuerat, vt non, quid ex ea, valde impia, vltione futurum esset, sed duntaxat, quomodo temere vlcisce-retur, audacia furens, cogitaret. Deus vero, pro diuina sua potentia, eam stirpem plane extingui, non voluit, de qua ha-bebat constitutum, vt Saxonie praefidia, et toti Germaniae ornamenta, aliquando euaderent principes, inde orti. Quod etiam euentus, qui acta probat, docuit. Certum enim est, hos fratres duos, vtriusque stirpis in Saxonia, Ernestinae & Albertinae, conditores singulari prouidentiae diuinae munere datos, & prudentiae, virtutis, ac clementiae, bonis, diuinitus ornatos fuisse. Alberti nostri virtutem plane eximiam, &

v. Celeb. Dn.
D. Werns-
dorf. disp. de
Henrico pio.

cit. loc. p. 95.

Progr. IX.

Conf. Perr.
Albinii Chron.
Misn. Lib. 21.

con-

consilii promptitudinem, tota Germania iis temporibus flagitabat, cui motibus domesticis nimis quassatae, omni fere ex parte reges potentissimi ac bellicosissimi suis copiis imminebant. Sed, Deo, res Germanicas, gratia sua respiciente, hic princeps semper praesto fuit, qui & auctoritate valebat, & animo, inter arma hostilia volitandi, ornatus erat.

*M. Boiemus
c. l. p. 75.*

In Germaniae visceribus eo tempore *Carolus Burgundicus*, princeps, ingenita virtute magnus, sed ferociori ingenio praeditus, & audax pugnaxque appellatus, ingentes motus excitabat, &, fracto Ludouico XI. Franciae rege, non regiam tantum dignitatem, sed Romani etiam imperii diadema, quo *Fridericus III*, Caesar, condecoratus, affectabat, et, si hoc fieri non posset, regnum Arelatense de integro stabilire cupiebat. Hinc *Albertus*, a Caesare in auxilium euocatus, duo bella Belgica gerere coactus est, alterum Imperatoris Romani, eiusque filii, *Maximiliani*, alterum suo, & filii, *Henrici*, nomine.

*cf. Meyeri annal. Flandr. p. 412.
& Comineus in vit. Caroli.*

Albertus Brandenburgicus, Noricis admodum infestus, fines horum variis incursionibus depopulari tentabat. In provinciis, quae orientem spectant, terrorem inicutiebant Germanis Bohemi, Pannonici, & Sarmatae, quorum saevitiam resoundingabat vicinae regiones, grauissimarum calamitatum, & irruptionum, quas antea perpecciae erant, adhuc memores.

Carolo vero Burgundico, de quo diximus, tandem superato, & trucidato, omnibus viribus id moliebantur Galli, vt, turbatis rebus in Belgio, & plerisque vrbibus, omni rerum abundantia affluentibus, ab herede legitimo abalienatis, vicinas prouincias in suam redigerent potestatem, cum regno Franciae copulandas, quo regnum Galliac ad veteres Rheni limites, ex sua sententia, proferrent. Rebus Germaniae in tanto discrimine & difficultate constitutis, unus *Albertus* animosus, Dei nutu & praefidio, opem tulit, restitutis ac conseruatis maxima ex parte iis prouinciis, quae ereptaerant, &, confecto feliciter bello, Imperatori Rom. *Fridericu III*, Romanum imperium,

Maxi-

Maximiliano, filio, Belgium, idque pacatum, eiectis Gallis, & Germaniae, pacem & decus, recuperauit. Qua expeditione bellica, ex voto finita, imperii Romani *Signifer* declaratus est *Albertus*, & quanta potuit, celeritate copias collegit, vt praedicto *Carolo Burgundico*, intrepido illi & forti principi, non modo conceptam, de imperio Romano, spem praeriperet, sed pacis etiam conditiones extorqueret, quae postea *Maximiliano* certam amplissimae hereditatis spem ex nuptiis filiae, *Caroli audaci*, praebuerunt.

Cum iis temporibus tres potentissimi reges *Casimirus*, Sarmatiae, *Vladislaus*, Bohemiae, & *Matthias*, Hungariae, ad yrbem Vratislauiam tres etiam adduxissent exercitus, Silesiam in potestatem redacturi, & Bohemiam *Matthiae*, Hungaro, *Georgio* rege, suasu Pontificis Romani, Pauli II, eiecto, vindicaturi, *Albertus* noster animosus, adscitis nonnullis in belli societatem vicinis Principibus, coactoque sex millium equitatu, incredibili celeritate Vratislauiam delatus, tantum his regibus omnibus incussit terrorem, vt, acceptis statim, quae se rebantur, pacis conditionibus, exercitus suos ex hac prouincia reducerent, cum neutri parti, prout euentus postea docuit, satisfactum esset.

Indigne quidem hanc *Alberti* virtutem ferebat *Matthias*, Hungarus, & odio ac inuidia hunc fortissimum Saxonie ducem occulte prosequebatur, instigantibus aulae ministris, iisque gnathonibus, qui crimina, ab *Alberto* in *Matthiam* dicta, comminiscabantur. *Albertus*, his auditis, quod memoratu sane dignum est, sui excusandi causa, cum exiguo comitatu, Dei praefidio, quo semper gaudebat, confisus, in castra Hungarorum, hostium, ingressus, recta ad *Matthiae* regis, praetorium processit, deque suo aduentu eum praemoneri iussit. „Intromissus per interpretem, significavit viro Regi, se non conuicii & iurgiis, quod mali finxissent ministri, sed manu & armis, cum hoste decertare didicisse, neque se villa priuata de

b

causa

vid. illustris
Dn. Rechen-
bergius de me-
ritis Sax. in
Dom. Austr-
ac.

„causa inimicum, sed ei maxime infensum esse, ac fore perpetuo, qui se patriae, & imperii Romano Germanici, hostem profiteretur.“ Miratus animi magnitudinem *Matthias*, sine mora legibus pacis, iam oblati, assensum praebuit, & tanti *Albertum*, Saxonem, deinceps fecit, ut eum, ad componenda dissidia, quae adhuc inter reliquos gliscebat reges, arbitrum constitueret. Tota res etiam ex huius sententia penitus transacta est, & diuturnis ac periculis bellis sublati, Deus, pro diuina sua cura ac prouidentia, per hunc *Albertum* Germaniae perdilectae, quae ad orientem spectat, pacem, & tranquillitatem concessit. *Matthiam* hunc dixisse ferunt: „neminem praeter *Albertum* animosum, suis militibus resistere posse, eumque solum, ex ceteris Germaniae principibus fortissimum belli Dicem appellandum, quo absente, se breui in media Germania castra positurum esse.“

Haec bona animi, & corporis, Dei benignitate *Alberto* concessa, edito laudis pleno testimonio, Imperator Rom. *Friedericus III.*, in comitiis solemnibus, Francofurti habitis, praedecauit, *Maximiliano*, filio, vna cum imperii cura, ei commendato, & vindicem ac custodem pacis publicae, & patriae, filique sui patrem, salutauit. *Maximilianus* ipse ingenue confessus est, se huic Saxoni adscribere, quod pater Viennam, & ipse vitam, retinuisse. *Innocentius* huius nominis VIII, Pontifex Romanus, reputando, quae pro imperii dignitate tuenda *Albertus* suscepisset, aurea rosa, pro more seculi illius donatum, dextram imperii manum appellauit. *Pontus Heuterus*, vir in tabulariis Belgicis egregie versatus, *Albertum*, principem, omnium ore ac linguis merito celebratum nominat, meminitque, apud Belgas tantam eius fuisse admirationem, vt neminem illi virtute, auctoritate, & armorum peritia, anteferrent. *Vbbo Rer. Frisic. Emmius*, vsu rerum & meritorum fama clarus, tam prudentem, tam fortem, ac domus augustae Austriae amantem, suisse tradit, vt *Maximilianus* inductus fuerit, Frisiam ei in pos-

Inreb. Belgic.
Lib. 5. p. 48.

Rer. Frisic.
Hist. Lib. 37.

BIBLIOTHECA

d

sessio-

sessionem tradere, certa successio[n]is lege pacto[rum]que retine[n]dam;
& gubernandam, vna cum gubernatoris Belgii titulo. A Belg[i]-
cis militibus, facta eius heroica praedicantibus, *Rolandus*, *He-
ctor*, alter *Carolus M.* itemque *Achilles Teutonicus*, *Hercules in
toto terrarum orbe conspicuus*, dictus est. Quae encomia omnia
Conradus Wimpina, in commentario poëtico, de *Alberti* expe-
ditionibus, a clarissimo Domino Wilischio edito, collegit.

edit. Altenb.

1725.

Quantam in *Alberto* spem positam atque defixam habue-
rit Germania, satis probatum est, cum Turcarum victoriis,
& felicibus successibus territa, ad hunc vnum Saxonem, Dei
dono concessum, respiceret, eiusque virtutem ac fidem implo-
raret, ac Duce[m] sibi, cum summo imperio, exoptaret. Qua
virtutis fama cum vbiique terrarum floreret *Alberrus*, Bohemi,
a morte *Georgii Bodiebracci*, socii Saxonis nostri, splendida
legatione missa, ad capessenda regni sui gubernacula, anno
M C C C L X X, eum inuitarunt. Sed, circumspectis pro sua,
qua pollebat, prudentia, rebus omnibus, & explorata gentis
Bohemicae, admodum mobilis fide, hanc oblatam dignitatem,
fusculo & consilio Pontificis Rom. repudiauit, quamuis Bohemi
omnibus eum expeterent votis, probe gnari: principe sibi
opus esse fortissimo, cuius armis, & rei militaris scientia, re-
gnum, cui Poloni & Hungari imminebant, defenderetur.

Boiem. vit.

Alb. p. 83.

*Mulleri an-
nal. p. 40.*

Quemadmodum igitur res bellicas diuino adiutus praesi-
dio, feliciter gescit *Albertus*, & insignem nominis famam ex-
inde sibi comparauit: ita pacis etiam temporibus, cum ab ar-
mis quiesceret, diuino nutu ac ductu, omnia negotia ad pa-
triae, & imperii Romani, salutem, & dignitatem, ornandam &
amplificandam, contulit. Multis etiam exstructis aedificiis
Saxoniam exornandam curauit, & tam feracibus metalli fodini-
nis Deus hunc principem, eiusque ciues, ditauit, vt ipse a praefectis
metallicis inuitatus, in argenti fodinis in mensa, ex fo-
lido argento, exceptus, cibum sumserit, & cultoribus fodina-

*Mulleri annual.
ad an. 1474.*

rum integræ argenti massæ distributæ fuerint. Leges etiam de honesta disciplina, inter ciues seruanda, tulit, & in eo totus fuit, a fratre coniunctissimo ERNESTO in consilium adhibitus, vt modus conuiuiorum, & ciborum, praescriberetur, ad coercendum luxum, & prodigalitatem, quae certa paupertatis mater est, penitus tollendam. Concordiae, & amoris in fratre satis euidentis est testimonium, quod, in rebus licet belli-
Aus 11
 cis & ciuilibus gerendis magna auctoritate & fama esset; fra-
 tri tamen, natu maiori, & Electorali dignitate praedito, non modo se non praetulerit, sed valde ei submiserit, & uno ani-
 mo, vnaque mente Dresdae, in uno domicilio, sine villa simul-
 tate & offensione cum eo vixerit, usque ad illum diem, quo
 confiliarios fratris ERNESTI, ad salutandum Papam, Romam
 profecti, iniquiores in se expertus est. Quibus ut cederet, ne-
 que contentiones ac diffidia aleret, Torgam se contulit, ibi-
 que sedem fixit, amoenitate eius loci, & rerum delectatus.
 Redeunte felici auspicio ERNESTO, tentata est inter fratres
 prouinciarum, & vrbiuum, in Misnia & Thuringia diuisio, cu-
 ius culpa non in hos duos fratres, sed in ministros aulae, trans-
 ferenda est. Arcis Misnenensis structuram suscepit quoque hic
 Albertus, architecto, Arnoldo, ex Westphalia oriundo, qui,
 pontem Misnenensem extruxisse, dicitur, anno nempe
 M C D L X X I, quo ipso templum Diui Wolfgangi, ad Misnam,
 sive Meissam, riuulum, conditum fuit.

*Weckius in
desc. Dresd.
p. 121.*

*Fabri-
cius in
annal. Misn.
ad h. annum.*

*Illust. Glafe-
nii Nuel. 157.*

Coniugem Alberto nostro, pro diuina sua prouidentia, elegerat Deus felicissimam Zedenam s. Sidoniam, Georgii Bodie-
 braci, regis Bohemiae, filiam, anno M C D L X I V matrimonio
 iunctam. Quibus nuptiis sublatae sunt controversiae, quae
 inter Bohemos, & Misnenenses, multos annos, durauerant.
 Quae Coniux serenissima multis, & iis egregiis, virtutum or-
 namentis praedita fuit, & maritum suum, editis in lucem prin-
 cipibus, filiis, & filiabus, exhilarauit. Ex ea enim nati sunt,
 praeter duos filios, prima aetate mortuos, G E O R G I V S, bar-
 batus,

batus, siue ciues, in quo educando & instituendo, omnem curam adhibuit pater, vt virtutibus & scientiis, principe dignis, mature in academia Lipsiensi in literarum studiis proficeret. Hunc exceperit **H E N R I C V S**, pius dictus, qui, praeclara & excellenti ornatus indole, pietati, & literis pariter deditus, & una cum fratribus Lipsiam, ad capiendum studiorum cultum, transmissus est. Quae academia, felix ingeniorum obstetrix, hunc principem ita formauit, vt ciues in eo patrem serenissimum redditum certatim affirmarent, & sibi de illo maxime gratularentur. Deus immortalis praecipua cura hunc *Alberti* filium, *Henricum*, complexus est, in turbis Frisiae, quae potestati eius commissa fuit, vt conseruandae, & propagandae serenissimae Albertinae stirpis, in Saxonia gloriae ederet documenta. Tertius filius fuit **F R I D E R I C V S**, qui literarum studiis pariter consecratus, iisque fideliter imbutus, summus ordinis Teutonicorum Magister, in Prussia factus, & tandem, relictam hac dignitate, ob iniuriam a rege Poloniae sibi illatam, *Coadiutor*, vti vocant, *Archiepiscopi Magdeburgensis*, **E R N E S T I**, declaratus est. Filias suscepit duas *Albertus* noster, quarum prior, *Anna*, mature obiit, posterior, *Catharina*, *Sigismundo*, *Austriaco*, matrimonio iuncta, eoque defuncto, secundis nuptiis **E R I C O**, Duci Brunsvicensi, seniori, tradita est, id quod *Seb. Müllerus*, in annalibus Saxoniciis, confirmat.

Rebus ex animi sententia ita constitutis, *Albertus*, conditionis humanae, ante obitum, memor, supremae voluntatis tabulas confignandas curauit, iuxta quas filii, post fata superstites, agerent, & prouinciis, ac in eis degentibus ciuibus, rite praeessent. In his **H E N R I C O** Frisiā attribuit gubernandam, & si forte ea excideret, *Freibergam* & *Wolkensteinum*, vna cum omnibus pagis & subditis, eo pertinentibus, obtineret: **G E O R G I O**, Misniam & partem Thuringiae, vna cum principatu Suganensi, concessit. Lectu dignissima est haec supremae tabulae Albertinae dispositio, quae, vt hoc loco repetatur, angustum

v. summe re-
uerend. Dn.
D. Werns-
dorf. Diff. de
Henrico pio.

stum chartae spatium non permittit. Celeberrimus *Glaßenius*,
Confiliarius Saxonius, in nucleo Historiae Saxonicae eius co-
piam nobis fecit, neminemque, eam legisse, vñquam poenitebit.

p. 140.

Postquam *Henricum*, filium, ex periculis, quae a Frisiis
illi imminebant, multis magnisque itineribus e Saxonia in Gel-
driam & Frisiā factis, diuino praesidio, eripuerat *Albertus*,
perduellibus ad obsequium redactis *Groningām* etiam, turbas
saepius excitantem, subicere studebat, & dum in castris, de
conditionibus vrbis huius tradendae, agitur, Deo ita iubente,
morbo corripitur fortissimus Dux noster, & *Embdam*, anno
MD delatus, non ita multo post, die nempe XII Septembbris
placide defunctus est, annum agens quinquagesimum octauum,
victoriis meritisque, & gloria bellica, cumulatissimus.

Mich. Boie-
mus c. l.conf. Carmen
Io. Camerarii
de hoc argu-
mento. I

p. 677.

Quo morbi genere affectus sit *Albertus*, non vna omnium
est sententia annalium conditorum. *Michaël Boiemus*, cui
fides merito habenda, febri, ex continua militiae laboribus,
in itineribus molestis contracta: nonnulli, ex potionē venena-
ta, alii, ex vulnerē, in obsidione vrbis accepto, diem obiisse su-
prenum, scribunt. *Tautenbergius*, cui summam in ea pro-
uincia commiserat potestatem reconditis in coenobio, prope
Embdam, extis, corpus defuncti in terras Misnicas transpor-
tandum, & Misenae, sepulcro paterno inferendum, idque, non
sine pompa, ibi tumulandum, curauit, de quibus omnibus *Mül-
lerus*, in annalibus, *Clauderus*, in stemmate Saxonico, & *G.
Fabricius*, in originibus Saxoniae, conferendi. Monimentum
sepulcrale, lapidi incisum, Misenae adhuc conspicitur, quod
scriptores rerum Misnicarum testantur, & in memorabilibus
Saxoniae legitur.

Quae diuinae prouidentiae documenta, plane singularia,
ALBERTO declarata, grata memoria recolentes, Deo immor-
tali, summorum principum protectori, & custodi, gratias agi-
mus decentissimas, quod patriae hunc fortissimum prudenti-
sum-

fimunque Ducem concessit, cuius prudentia & virtute res publica conseruata, & ab imminentibus tum temporis hostium multorum periculis, clementer defensa fuit. Imploramus hunc rerum humanarum arbitrum potentissimum votis ardentissimis, vt *principes serenissimos, Electorali, & regia dignitate ornatos, ex hoc Alberto ortos,* pari cura ac prouidentia complecti, & in salutem patriae, omniumque ciuium desiderium, a variis hostium machinationibus, & conatibus, a grauissimis belli calamitatibus, & turbis, tueri, & *augustam Domum Saxoniam,* cum *utriusque sexus sobole serenissima,* fine vlla offensione, florissantiam conseruare velit. Faxit idem Deus, qui nutu suo omnia dirigit, ut Caesaris Romani, Caroli VII, Regumque in Europa potentissimorum, animi, tam distracti, breui reconciliati, foedere, perpetuo duraturo, inter se iungantur, vt pax, omnium votis desiderata, firma sit, & satis fida.

Restat, vt ad oratores, adolescentes, diligentiae, & modestiae, laude commendandos, nos conuertamus, qui ipso scholae huius illustris natali, die **xviii** Kal. Octobris, ab hora **ix** matutina, peractis in templo, scholae contiguo, sacris, orationes, iussu nostro, in auditorio maiore, in confessu publico, habebunt:

IOANNES GUILIELMVS VLISCHIVS, Grimensis, oratione Germanica, in prosa, **MAVRICIVM**, Saxonem, *immortalem nominis famam, ex conditis tribus scholis in patria illustribus, sibi comparasse, demonstrabit.*

IOANNES MELCHIOR STOCKMARVS, Leisnicensis, oratione Latina, in prosa, comprobabit, principes fere omnes, ex serenissima domo Saxonica ortos, Scholarum & Academiarum fautores fuisse.

SAMVEL GODOFREDVS SCHMIDIUS, Falckenhayna-Misnicius, summorum principum, literas amantium, in academiis

miiis praesentiam iuuenum studiosorum animos ad maiorem excitare diligentiam, carmine epico, declarabit.

IOANNES SIGISMUNDVS WACHTERVS, Grimensis, eximia laude mactandum esse Serenissimum iuuentutis Saxoniae principem, FRIDERICVM CHRISTIANVM, ob eximiam doctrinæ & eruditio[n]is scientiam, oratione Latina, in prosa, proferet.

IOANNES GODOFREDVS HERMES, Barbensis Saxo, potentissimo Regi Poloniae, & Pr. Electori Saxon. patria indulgentissimo, AVGVSTO III, in regno Pononico iam versanti, felicia fata, & redditum in Saxoniam auspiciatissimum, optabit, oratione Germanica.

ERNESTVS LEOPOLDVS TROPPANNERVS, Bernstadio Lusatus, Carmine Germanico, gratias aget Deo immortali decentissimas, quod hanc scholam illustrem superiori anno, a periculo[so] incendio seruauit.

IOANNES THEOPHILVS HOLFELDV[S], Dresdenis, supplicabit Deo praeponenti, vt, reconciliatis Summorum Regum, & principum, animis, auream Germaniae pacem breui restituat, sermone patrio.

Hos septem bonae indolis, & spei, iuuenes, alumnos, vt omnes musarum fautores, quos Grima continet, praestituto tempore, benuole audiant, etiam atque etiam hac tabula roga-

mus. P. P. d. xviii. Kal. Octobris,

ciccccxliv.



ULB Halle
008 307 032

3



W 18



Vc
2195

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



AD

ORATORIVM

I P S O

LAE ILLVSTRIS

NAE NATALI

OCTOBR. A. R. S. cIcIcI CCXLIV

TORIO MAIORE

HORA MATVTINA

IN TEMPLO SCHOLAE

ONTIGVO SACRIS

BONAE IN DOLIS
CTATIONIS ALVMNIS

HABENDVM

ERARVM FAVTORES

TIS GRIMENSIS

MANTER INVITAT

OVIDENTIAE DOCUMENTIS

IN

MOSVM DVCEM SAXONIAE

ERTINAЕ CONDITOREM

SINGVLARIBVS

DISSERENS

CVS AVGVSTVS

MACHERVS

RIS MOLDANI RECTOR.

TERIS BREITKOPFIANIS.

X I.